



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Vasq. ipsa satisfactio per alium facta elevari potest virtute clavium, ut ex opere operato profit pœnitenti, qui illam procurat.

Denique non debet imponi pœnitentia publica, ex qua suboriri possit dubitatio prudens, quod pro gravibus peccatis occultis pœnitenti sit imposita; quia hoc esset revelare confessionem: Potest tamen pro peccatis publicis imponi pœnitentia publica; præsertim ex consensu pœnitentis. Immo debet aliquando pœnitens talem pœnitentiam acceptare ad tollendum scandalum, quod dedit; nisi ex rationabili causa excusandus videretur.

Adverto hic, eas debere imponi pœnitentias, quæ potius juvent ad præservandum a peccatis futuris, quam ad satisfaciendum pro præteritis; Quamvis a Confessario, Medico simul, & Judice utrumque spectandum sit, ex Trident. sess. 14. cap. 8.; unde satius est injungere aliquas mitiores post aliquod temporis intervalum continuandas, quam asperiores statim exequendas.

V. Quæritur demum; Possitne pœnitentia post absolutionem injungi?

Respondeo, posse, quoties non est probabile periculum, quod eam pœnitens non sit acceptaturus, ut docet Dian. par. 5. tract. 13. resol. 36.; Consuetudo enim imponendi illam ante absolutionem non videtur obligatoria.

ARTICULUS II.

De Pœnitentia a Pœnitente adimplenda.

- I. Num possit pœnitens recusare pœnitentiam, ut illam in Purgatorio luat?
- II. Quamdiu possit pœnitens impositam pœnitentiam differre?
- III. Poteritne pœnitentia executioni man-

dari, dum aliud præceptum impletur?

- IV. An etiam sub mortali teneatur pœnitens exequi circumstantias pœnitentia impositas?
- V. Num a substantia pœnitentia imposita deobligetur pœnitens, quando est impotens ad circumstantias?
- VI. Ad quid tenetur pœnitens, si pœnitentia obliviscatur?
- VII. Num possit aliquando pœnitens per alium implere pœnitentiam impositam.

I. Quæritur primo; Utrum pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, & implere, an possit velle in Purgatorio satisfacere?

Respondeo cum communi Doctorum teneri; tum quia tenetur Sacramentum ex parte sua pœnitens perficere, atque adeo satisfactionem ponere, quæ est pars Sacramenti; tum etiam quia cum possit, & debeat ex Trident. Sacerdos ligare, seu pœnitentiam sub obligationem injungere, consequenter tenetur pœnitens illam acceptare, & implere; Dummodo ea non sit irrationabilis, ut esset ingressus in religionem, vel pœnitentia publica, quæ nimis dura censeatur; vel longa peregrinatio infirmo, vel gravis eleemosyna facienda a paupere. Victoria, & Vasq. apud Tambur. docent, esse de fide post Trident., quod Sacerdos ad aliquam pœnitentiam pœnitentem possit obligare; & Suar. putat oppositam sententiam esse temerariam: Aliqui tamen post Trident. oppositam sententiam putant probabilem, quia non est verisimile, quod Trident. voluerit damnare opinionem, quam sequebantur gravissimi auctores, Scot., Medin., Armil, Grabriel, & alii apud Tambur. Immo Cajet. laudatus a Lug. disp. 25. num. 68. putat, non solum non esse obligationem sub mortali acceptandi pœ-

pœnitentiam, sed nec implendi acceptatam; quia potest pœnitens esse paratus satisfacere in Purgatorio pro peccatis. Quicquid itaque sit de hac sententia, quæ communiter rejicitur, certum est, quod si nolens acceptare pœnitentiam, etiam levem, daret signum non veri doloris, non esset absolvendus; Secus non esset sine absolutione dimittendus: Præsertim si possit illi imponi lucratio alicujus indulgentiæ. Pœnitens autem licet possit pro libito alium adire, quando pœnitentia est irrationabilis, non tamen quando est intra limites prudentiæ, & Christianæ charitatis; quia est contra reverentiam Sacramento debitam illud sine rationabili causa relinquere inchoatum. Ita communiter Doctores cum Suar. disp. 38. sect. 72. Qui etiam docent, obligationem implendi pœnitentiam de se esse gravem; nisi vel parvitas materiæ excuset, ut si quis omittat unum Miserere, vel pœnitentia, licet gravis, injungatur vel pro solis venialibus, vel pro mortalibus alias confessis. Nam etiam in hoc casu probabile est, esse tantum veniale pœnitentiam non exequi; quamvis probabilius sit esse mortale ratione materiæ gravis ad Sacramentum spectantis.

II. Quaritur secundo; Quando nam teneatur pœnitens exequi pœnitentiam impositam?

Respondeo: Si designetur a Confessario tempus, debet eo tempore impleri; quandoquidem potest tum substantia, tum circumstantia operis cadere sub præceptum; Excusatur tamen communiter pœnitens a mortali, si ultra tempus designatum differat illam; quia communiter præceptum Confessarii cadit potius in rem exhibendam, quam in tempus; & proinde potest aliquando ex rationabili causa licite differri: Quacumque tamen de causa differatur, debet post-

ea impleri: Quicquid in contrarium doceat Amicus, quia præceptum per se cadit in substantiam operis, ut diximus; in tempus vero, tanquam in circumstantiam accidentalem, & terminus designatus a Judice non est terminus finiendi obligationem, sed terminus, ultra quem non debeat differri executio.

Quod si nullum determinatum sit a Confessario tempus ad pœnitentiam exequendam; Dian. part. 1. tract. 15. resol. 53., & Fernand. putant, differri posse ad annum, sicut obligationi confitendi satisfieri potest post annum. Hæc tamen opinio jure merito videtur Tambur. nimis laxa; etenim qui vovit, se ingressurum in aliquam religionem, juxta communem Doctorum mentem, ita debet statim moraliter implere votum, ut non possit universim differre ingressum ultra sex menses; quomodo ergo in adimplenda pœnitentia poterit permitti dilatio unius anni? Quare probabilius dicendum cum Lug. disp. 29. n. 92. per se loquendo debere impleri, quamprimum commode moraliter potest, sicut obligat votum: Unde tandem differri potest pœnitentia, quamdiu impletio voti facti sine temporis designatione: In materia autem de voto docent communiter, probabile esse non censerit mortale dilationem, quoties dilatio non est nimia, & per dilationem non minuitur res promissa; (ut minueretur tardus ingressus in religionem) & ideo in casu nostro non fert mortale dilatio pœnitentiæ, quoties dilatio non est nimia, nec minuit rem injunctam; Sicut illam minueret, si pœnitentia esset medicinalis, vel si immineret periculum oblivionis, aut impotentia illam implendi.

III. An autem possit pœnitens eo tempore pœnitentiam implere, quo exequitur aliud opus de præcepto?

Verbi

Verbi gratia, an possit recitare ro-
farium injunctum, quando die festo
audit Missam? Docent communiter
posse, quando pœnitentia, & opus
præceptum non se invicem excludunt;
ut non se excludunt auditio missæ,
& recitatio coronæ.

IV. Queritur tertio; An ad cir-
cumstantias pœnitentiæ impositæ te-
neamur sub mortali? Verbi gratia,
ad recitandam coronam ante talem
imaginem, vel flexis genibus &c.

Respondeo cum Lug. distinguendo;
sicut cum Sanch. l. 4. in Decalogum
cap. 1. distingui solet in materia de
voto: Vel enim res promissa, & in-
juncta est gravis, & circumstantia
est levis; ut in casu adducto recita-
re coronam ante talem imaginem;
& ad talem circumstantiam tenetur
pœnitens sub veniali: Vel circumstan-
tia etiam est gravis, ut aliquibus vi-
detur coronam recitare flexis geni-
bus; & ad illam obligatur sub mor-
tali.

V. Hinc inferitur, quid dicendum
ad hoc aliud quæsitum; An liberetur
pœnitens ab obligatione implendi
pœnitentiam, quando impotens est
ponere circumstantiam impositam?
Verbi gratia, liberaturne ab obliga-
tione recitandi coronam, si non pot-
est illam recitare flexis genibus, pro-
ut est impositum? Responsio desu-
menda est ex paritate voti, & ulti-
mate ex intentione confessarii pœni-
tentiam imponentis, ut docet Lug.
disp. 25. num. 94. Si enim ex con-
jecturis habetur, Confessarium voluisse
obligare ad substantiam operis,
etiamsi non possit impleri circumstan-
tia, tunc debes ponere substantiam,
quam potes; secus vero non item.

VI. Queritur quarto; si Pœnitens
pœnitentiæ obliviscatur, ad quid te-
netur?

Respondeo ex Tambur., & Lug.
teneri dumtaxat memorem confessa-

rium consulere, si commode potest,
& pœnitentia sit gravis; secus ad ni-
hil tenetur; quia ex Vasq. nullum præ-
ceptum, dum ignoratur, obligat. Id-
que verum est, etiamsi culpabiliter
oblitus sit pœnitentiæ; non enim te-
netur iterum eadem peccata confite-
ri, ut aliam pœnitentiam accipiat,
(ut quidam voluerunt) quamvis te-
neatur oblivionem culpabilem confite-
ri, si culpabiliter sit oblitus.

VII. Queritur quinto; An possit
pœnitens pœnitentiam injunctam per
alium implere?

Respondeo, duplicem posse esse sen-
sum quæsitum; Primo, an pœnitens
possit pro suo libito pœnitentiam sibi
injunctam per alium implere; & id
certe non licet, ut constat ex propo-
sitione 15. damnata ab Alex. VII. quæ
habet: *Pœnitens propria auctoritate
subsistere sibi alium potest, qui loco
ipsius pœnitentiam adimpleat.* Et ratio
est, quia si pœnitenti impositum est,
ut ipse jejundet, oret, eleemosynam
eroget, tenetur ipse hoc præstare: Ad-
verte tamen, ipsum censeri eleemosy-
nam facere, etiamsi per servum faciat;
secus vero si roget alium, ut ille fa-
ciat eleemosynam de suo. Secundus
sensus potest esse; An id fieri posset
de consensu confessarii? Et respondeo
cum Suar. ex dictis affirmative: Pot-
est enim, verbi gratia, consentire con-
fessarius, ut pœnitens satisfaciatur per
jejunium, quod ab alio procuret. Et
ratio est, quia præceptum hoc pendet
a voluntate Confessarii, adeoque sa-
tisfit præcepto, quoties juxta volun-
tatem confessarii impletur; Unde fit,
posse confessarium adjuvare pœniten-
tem in satisfaciendo, & offerre in
satisfactionem propria jejunia.

Neque dicas, talem pœnitentiam
per alium impletam non posse esse
partem Sacramenti, & sic non esse
satisfactionem Sacramentalem. Re-
spondet enim Suar. disp. 38. sect. 9.
else

esse aliquo modo partem Sacramenti, quatenus aliquo modo est poenitentis; sicut enim potest quis per interpretationem confiteri sacramentaliter; ita potest sacramentaliter satisfacere per alium. Ex quo inferitur, quod non solum ipsa procuratio jejunii alieni, sed etiam jejunium alienum probabiliter elevetur in tali casu ad praestandos suos effectus ex opere operato; ut docet Suar. contra Vasq. Monet tamen eximius doctor, hunc modum imponendi poenitentiam non esse in Ecclesia usitatum, nec debere sine rationabili causa a Confessario adhiberi.

ARTICULUS III.

De Commutatione Poenitentiae.

- I. Num liceat poenitenti impositam poenitentiam in graviolem commutare?
- II. Utrum deobligetur a poenitentia imposita, qui plenariam indulgentiam lucratur?
- III. Num possit secundus confessarius non auditis peccatis poenitentis commutare in lucrationem indulgentiae plenariae poenitentiam a primo confessario impositam?
- IV. Poterit aliquando solum ratione Episcopi poenitens sibi poenitentiam commutare.
- V. Idem confessarius, qui poenitentiam imposuit, potest illam extra confessionem commutare. Alter vero confessarius non nisi intra Confessionem: Et probabiliter cum sola confusa notitia peccatorum, pro quibus ea fuit imposita.
- VI. Non solum confessor aequalis, sed etiam inferior commutare potest poenitentiam a superiore impositam pro reservatis.
- VII. Non potest tamen simplex Sacerdos commutare poenitentiam a

confessario impositam pro moribus.

I. **Q**uæritur primo; An possit ipse sibi poenitens poenitentiam commutare in graviolem?

Respondeo negative cum communi contra Villalob. & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 53. qui putant cessare obligationem poenitentiae, quoties vel per indulgentiam plenariam, vel alia via per operationes satisfactorias adæquate satisficit pro culpis confessis. Et Dian. part. 1. tract. 15. resol. 53. ex Portel. docet, probabiliter esse, posse poenitentem auctoritate propria commutare sibi poenitentiam in quodcumque aliud opus evidenter melius; sicut potest votum sibi commutare. Admitto equidem cum communi, cessare obligationem poenitentiae, quæ non fit pure medicinalis, quoties quis indulgentiam plenariam lucratur; quia cessat finis poenitentiae impositæ, ut fuse ostendit Lug. disp. 27. num. 32. advertens tamen in praxi non facile hanc sententiam admittendam; tum quia facile indulgentias plenarias variis causis non lucramur; tum pariter, quia fere semper poenitentiae, quæ solent imponi, sunt etiam medicinales; tum demum, ne desit meritum, quod magnum quidem est in executione poenitentiae, quæ virtute clavium elevatur ex opere operato ad gratiam producendam, ut supra diximus: Censeo nihilominus, non cessare obligationem poenitentiae per quodcumque aliud opus praestantius, quod ponatur a poenitente; quia cum de nullo alio opere certum sit, quod omnino satisficiat pro culpis commissis, sicut est certum de indulgentia plenaria; idcirco semper habetur obligatio obediendi præcepto confessarii. Quandoquidem illa solum operatio meritoria, quæ a confessario im-